



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas**

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ Agrippinæ, 1709**

XXIX. Septembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Michaëlis Arch. bilancem, quâ Mariophili cujusdam vitam is examinabat, Deipara apposito rosario in favorem sui clientis prægravare visa est, creditur etiam S. Michaël Mariæ in cælos Assumptæ totas Angelorum myriades in occursum duxisse. *S. Greg. Turon.* Quid pronius, quàm ut Reginae occurrant subditi.

S. Michaël judicii particularis Præposite, tibi animam meam specialiter commendo, ut cum corpore egressa, bilancem tuam examinanda subierit, non mea, quæ pauca sunt, attendas merita, sed intercessione Magnæ tuæ, meæque Reginae plus habens inveniar. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, quantum possibile erit, placere & servire desidero. Hoc unū &c. *f. 190.*

Ad quod impetrandum: dicens Gloria Patri &c. addam & Beatissimæ Virgini.

Regina es ob largitatem, largiris enim servis tuis dona gratiarum, vestes virtutum, thesauros meritorum, magnitudinem preciorum. *Rich. à S. Laur. de laud. V. l. 4.*

Quæstio: magis gratulentur Angeli Mariam esse creatam, quàm se?